



DISPUTATIO INAUGURALIS.

49.  
474.

*De*

FORO COM-  
PETENTE.

*Quam*

1623, 3.

D. T. O. M. F.

EX

DECRETO ET AVTHORITATE MAGNIFICI ET NO-  
*bilissimi* Ictorum ordinis in Celeberrima Argentoratensium  
Vniversitate.

PRO

SVMMIS IN VTROQUE  
IVRE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
Doctoralibus ritè solemniterque con-  
sequendis.

*Publicæ censura exponit.*

GEORGIUS KIRCHBERGER NORIM-  
bergensis.

*In Auditorio Majori Mens, Febr.*



ARGENTORATI,

EXCUDEBAT PAULUS LEDERZ.

ANNO M. DC. XXII.

INSTITUTIONAL PAPERS  
NO. 10  
FORO COM  
PETENTE  
D. T. O. M. E.  
SYMMIS IN VITROVE  
INSTITUTIONAL PAPERS  
NO. 10  
FORO COM  
PETENTE  
D. T. O. M. E.  
SYMMIS IN VITROVE  
INSTITUTIONAL PAPERS  
NO. 10  
FORO COM  
PETENTE  
D. T. O. M. E.  
SYMMIS IN VITROVE





σὺν ἑσὶ

THESIS. I.



Hanc fori competentis materiam inter alias juris materias difficiles atque pernecessarias, facile sibi primum vindicare locum, nemo peritiorum cum sit, qui ignoret, pluribus hanc ipsam commendare opus non esse arbitror. Igitur statim rem ipsam aggrediar. Antequam tamen ad ipsam rei definitionem me accingam, nominis definitionem præmittam.

2. Deducitur autem forum vel à fando: id est loquendo secundum Isidorum. *c. forus 10. extr. de V. S.* vel potius à ferendo secundum Varronem lib. 1. *de ling. latin.* & quidem ideo, quod uti merces negotiatorum, ut alienentur. sic controversiæ ut dirimantur, eum in locum deferantur. Matth. Stepha. lib. 1. *de Jurisd. c. 27.* Ut ita forum hoc in loco nihil aliud sit, quàm locus publicus, ubi Magistratus jus dicit vel judicat. Cujas. *in π. C. de jurisd. omn. judic.* Vel litium exercendarum locus. Isidorus *d. c. forus. extr. de V. S.*

3. Forum quamvis variè dividi soleat: mihi tamen præ cæteris hæc Wesenbeccij arridet divisio; quæ est in forum competens seu ordinarium, & incompetens seu extraordinarium. *t. t. extr. de foro compet. l. 1. l. 4. C. de jurisd. omn. judic.*

4. Forum ordinarium seu competens, est locus, in quo iudex de causa inter litigantes suæ jurisdictionis cognoscere potest, vel ubi Reus conveniri ab actore debet, cum actor regulariter forum rei sequatur. *l. 2. l. 5. C. d. t. l. fin. C. ubi in rem actio. t. t. extr. de for. comp. Bocer. class. 6. disp. 2. θ. 91.*

5. Incompetens verò seu extraordinarium, quod illi opponitur, alienum tribunal & incongruum dicitur, cui Reus conventus, subjectus non est. *d. l. 1. l. 5. Emer. à Rosbach in process. judic. h. §. 1.*

A 2

6. Com-

6. Competens ordinarius rursus vel est commune, vel speciale. *c. f. extr. h. n. t. l. 33. ff. ad municip. Wesehb. de for. comp. n. 2.* Speciale est vel superius vel inferius. *d. l. 4. l. 5. C. de jurisd. omn. jud. c. 1. extr. hoc n. t. in 6. de quibus singulis in seqq.*

7. Primò igitur forum ordinarium commune est, quoties quis jure communi forum sortitur, quod fit 4. potissimum ex causis; Domicilio, Contractu, Delicto, & Re; quandoq; etiam alijs ex causis, ut deinceps apparebit.

8. De Domicilio tale jus est, unumquemque eo in loco seu territorio conveniri ac defendi debere, ibiq; forum sortiri, ubi domicilium habet. *l. Vnic. C. ubi de hered. l. 2. §. 6. ff. de judic. Donell. 17. c. 12. quod vulgò Doctores duplex constituunt, commune & privatum.*

9. Commune domicilium olim erat quod quis habebat respectu urbis Romæ propter Imperatoriam majestatem, quæ ibi residebat. Hinc est quod Ictus Modestinus in *l. 33. ad municip. Romæ*, patriam omnium communem appellet; eò, quod ibidem quoslibet esset conveniendi potestas, propter originem & plenitudinem jurisdictionis. Matth. Steph. *lib. 1. c. 28. n. 19. de jurisd.* Modò tamen Imperio Romano subjecti essent. *l. 28. §. 4. ff. ex quib. caus. major. Nec jus revocandi domum haberent. l. 2. §. 4. & seqq. ff. de judicijs.*

10. Jus autem revocandi domum habebant omnes, qui vel testimonij dicendi causa evocati, vel juris jurandi causa accersiti vel in provinciam destinati erant, vel qui alia necessaria & legitima de causa, Romam veniebant. *l. 2. §. 3. §. 6. de judic. Utiq; si jam antea Romæ se non obligassent. l. 2. §. 4. d. r.*

11. Verum huic assertioni hodie nullus locus superesse videtur, id quod pluribus demonstrat Butrio. *c. f. h. t. n. Geyl. l. 2. obs. 36.* cum Matth. Steph. *d. l.* idq; propterea, quod cum civitas Roma, Residentia ac sedes Pontificis facta sit, domicilium hocce mutatum, atque in Aulam Cæsaris translatum censerì debeat: vid. hac de re Coll. Argent. *in tit. de jud. Umm. in projud. h. t. n.* Ubi etiam quomodò & coram quo iudice supra dictum privilegium proponendum, quibusve in causis cesset, latè. Quæ omnia ob pagellas, quas paucas esse volui, cum commentatoris potius quàm disputatoris sint, hîc annectere non licuit.

12. Privata-

12. Privatum domiciliū aliud dicitur naturale vel originis, aliud accidentale. Domicilium naturale est locus, unde quisque natus est, vel originem suam habet. *l. 6. ff. ad municip.* Modò pater quoque eo in loco domiciliū suum habuerit. *d. l. 6. §. 1. l. 1. §. 2. l. 15. ff. ad municipi.*

13. Non igitur simpliciter locus nativitatis domiciliū constituit, sed tum, si pater inde quoq; ortus fuerit, vel domiciliū suum ibi habuerit. *dd. text.* Hinc est quod Fridericus II. licet in Sicilia natus fuerit, nihilominus in Imperatorem tanquam origine Germanus, ab Electoribus propter patrem Germanum electus fuerit; cum aliàs nunquam eligi potuisset. *Gæd. conf. 1. n. 2. 3. p. 3. Marq. Freher l. 2. c. 3. Buxt. in Aur. Bull. concl. 31. lit. c.* Id quod etiam in Carolo V. & Ferdinando Rege Romanorū, Fratribus & nepotibus Maximiliani. I. ex filio Philippo, factum videmus; qui itidem licet extra Germaniam fuerint nati, pro Germanis habitifuerunt. *Matth. Steph. lib. 2. c. 1. & seqq. Lancell. in templ. om. jud. q. 3. n. 19.*

14. Domicilium originis quamvis aliàs immutabile *d. l. 6. ff. ad municip. l. 4.* ubi Cujac. *C. de Muni. & orig.* quia naturale, & ita nec translatione nec renunciatione mutetur, *d. l. 6.* Hoc tamen indistinctè non procedit, sed respectu tantum munerum & honorum, & sic onerum personalium subeundorum, respectu itidem successionis: *Zang. c. 1. part. 2. n. 68.* Non verò quoad jurisdictionalia, quæ relicto originis domicilio & ipsa amissa intelliguntur. *Zang. d. l. Geyl. lib. 2. obs. 36. n. 5. Coll. Argent. t. de jud.*

15. Non desunt tamen, qui arbitrantur, quòd licet jurisdictionalia per mutationem domiciliij mutantur, nihilominus originarius in loco originis, si ibidem deprehendatur, conveniri rectè possit. *Geyl. d. obs. 36.* Cum in loco domiciliij habitationis conveniri aliquis possit, sive ibi reperiatur sive non.

16. Verum etiam hæc, parum hodiè aut nihil obtinent, id quod etiam Colero visum fuit, propter consuetudinem fermè ubi vis locorum in Germāia præsertim receptam, per quam originarius civitati renuncians (quod fit, postquam iura civitatis alibi impetraverit in numerum civium inscriptus fuerit, Wann er andestwo daß Bürgerrecht oder Bürgerschaft erlangt hatt/ibidemque habitaverit

taverit animo insistendi Decius Consilio 283. n. 11. Mascard. de probat. concl. 534. n. 4. ) non solum quoad munera sed etiam quoad jurisdictionem civis esse desinit, cum mutato originis domicilio, omnia quæ ad effectum juris civilis pertinent, sublata intelligantur; modò ea, quæ pro migratione secundum cujusque loci consuetudinem præstanda veniunt, præstita sunt, ut tributum illud quod Nos vocamus Die Nachsteuer/ Abzug/ Abfarth/ ablössung/ Reichs Abschied. §. wo aber vnserer auch der Churfürsten etc. anno. 1555 Item Anno 1504. §. vnd so viel die vngleiche etc. Nec etiam illa mutatio fiat fraudulenter A. B. C. 16. Demnach auch etliche Burger vnd Unterthanen der Fürsten Freyen vñ andere Leuth wie vns deswegen vielfaltig klag vorkomen etc. Reichsabschied Anno 1555 dict. §. wo aber vnserer auch etc.

17. Domicilium accidentale ( quod pro cuiusvis arbitrio mutari potest. per. l. 31. ff. ad Municip. ) est habitationis & bonorum. Bonorum est, in quo bona vel res suas sitas quis habet & hoc cum habitationis domicilio plerumque idem est. Habitationis verò domiciliū est locus, in quo quis eo habitat animo, ut perpetuò ibi subsistere & permanere velit, nisi quid avocet. l. 27. §. 2. ff. ad municip. l. 7. C. de incolis. Ut ita ad constitutionem alicujus domiciliij duo conjunctim requirantur; habitatio & animus ibi consistendi l. 17. §. 13. l. 27. §. 2. ff. ad municip. Non igitur sola habitatio seu domus possessio, quæ in alienâ civitate comparatur, domicilium constituit. l. 17. §. sola domus ff. ad municip.

18. De hoc autem animo vel expressè constat vel tacitè; expressè, ut protestatione, qua ante re & facto declaravit se in hanc vel illam civitatem vel territorium habitatum venisse ut ibi perpetuò esset l. 20. domicil. ff. ad municipal. l. 239. §. in cola ubi Alciat. de V. S.

19. Tacitè si de eotestationem non interposuerit quis, igitur ex conjecturis & præsumtionibus probabit. Quomodo autè conjecturæ domicilium constitutum esse probent, id multis demonstrat Donell. 17. I. C. c. 42. magis tamen est, ut dicamus, Iudicis arbitriorelinquendum.

20. Hinc primò sequitur ut si quis ad tempus quodam in loco habitat & commoretur inde rursus discessurus, eum domicilium contraxisse non videri: Secundò nec studiosum, licet per decem



477.  
cem annos in alijs quàm in quibus originem suam ex nativitate ha-  
bet, commoretur Academijs, cum animum recedendi habeat, iti-  
dem eum domicilium contraxisse non credi. *l. 2. C. de incolis l. 26. ff.  
de capt.*

21. Domicilio suprà prædicto modo constituto, sortitur  
quis forum vel ex personâ suâ vel personâ alterius. Ex personâ  
suâ hactenus, quod fieri diximus, simul atque in numerum civium  
in scriptus fuerit, ibidemque habitaverit animo insistendi. *l. 19. §.  
1. §. ult. ff. de judic.* Ex persona alterius forum constitutum habent  
Iure veteri libertus ex persona patroni, ejusque liberi; servus pu-  
tativus: *l. 22. ad Municip. l. 1. C. ubi caus. stat. agi oport.* Mulier ex perso-  
na mariti *65. ff. de judic.* & in tantum quidem, ut licet vidua  
facta fuerit adhuc tamen in domicilio mariti rectè conveniatur;  
nisi se alij viro jungat. *l. 22. §. 1. ff. ad Municip. de incol. 10.*

22. Cum autem hic modus sortiendi forum generalissi-  
mus sit, proinde se ad omnem actum extendet, sive ex delicto, sive  
ex contractu, sive de re agatur, sed cum temperamento quodam si-  
cuti in discursu apparebit. adde *c. f. extr. de foro comp. & ibi Panorm.  
l. 2. §. 3. l. 19. §. 2. ff. de judic.*

23. Nec interest sive in loco domicilij reperiatur, sive non;  
rectè tamen ibidem citari & conveniri potest. *l. 4. §. 5. de damno infe-  
cto Geyl. lib. 2. obs. 36 n. 12. c. causam. ex de dol. & contum.*

24. Et licet post citationem & litem motam domicilium  
mutet; adhuc tamen in loco domicilij ubi lis cæpta est, rectè con-  
venitur. *l. 19. ff. de jurisd. l. 7. l. 30. ff. de jnd.* Cum judicium ubi cæptum  
est, ibi finiri debeat. *30. d. r.* Nec domicilii mutatio perimat  
motam instantiam coram judice domicilii. *c. proposuisti, extr. de foro  
comp. & hæc quam brevissimè de Domicilio.*

25. Proximus modus sortiendi forum est contractus, quo  
enim loco quis contraxit, ibi etiam conveniri debet. *l. 1. 2. 3. de reb.  
aut. judic. l. 2. §. 4. l. 19. §. 1. 2. l. 36. §. f. l. 45. de judic. l. 2. C. de ratiocin.* licet  
ibidem domicilium non habeat. *l. 19. §. 1. l. 42. d. t. de judic.*

26. Est autem locus contractus ubi quid dari promissum  
est, seu in quo solutionem fieri convenit, licet contractus alibi fue-  
rit celebratus. *l. 21. de O. A. l. 19. §. f. ff. de judic.*

27. Quod si verò nihil expresse de eo fuit actum, ubi res  
gesta

gesta est, locus contractus intelligitur. *d. l. 19. pr. §. 1. & seq. ff. de iudic.*

28. Cæterum si uno in loco sit contractum, in altero verò confectum instrumentum : nec de eo appareat utrum in scriptis partes contractum celebrari voluerint, is locus contractus censerì debet, ubi primò de negotio conventum est; non ubi instrumentum est confectum. *l. 65. de iudic.*

29. Secus atque si expressè, contractum in scriptura fieri convenerint, hoc enim casu cum non aliter vires habeat, nisi instrumentum in mundum seu grossam sit redactum ac forma à contrahentibus præscripta omnibus numeris fuerit ab soluta. *l. 17. C. de fide instrument.* non immeritò is locus contractus intelligitur, ubi instrumentum absolutum & conscriptum est. *d. l. 17. Connan, Com. I. C. l. 7. c. 6. n. 3. Vas lib. Illustr. controvers. 38. n. 23.*

30. Quamvis autem aliàs quis in loco quo contraxit, conveniri debeat, id tamen generaliter verum non est, sed tum si ibi reperiatur atque aliquandiu ibid. subsistat, *l. 19. §. 2. ver. nunquid, de Iud. Coll. Arg. h. t.*

31. Vnde mercator advena vel viator si mox discessurus in ipsa peregrinatione contraxerit, eo in loco, ratione contractus conveniri non potest. *d. l. 19. §. 2.*

32. Aliud tamen in eo constitutum est, qui bancum, pergulam, tabernam vel officinam conductam habet, aut quam habuit, removerit, tum enim ibi se defendere debet sive cum ipso, sive cum Institoribus, contractum sit. *d. l. 19. §. 2. 3. de iudic.*

33. In Nundinis porrò majoribus, ( ut Lipsiensibus, Francofurtensibus ) quæ instar privilegii ab Imperatore mercatum exercendorum causa civitatibus conceduntur *l. 1. ff. de Nund.* nemo sub prætextu privati debiti præcludi vel arrestari potest. *l. un. C. d. t. de nund.* Unde etiam *Constit. Electoral. Sax. 30. 1.* Wir wollen aber sonderlich/das in allen fellen innerhalb der öffentlichen Märck der handel vñ werbung halben die Freyheit gehalten/kein arrest statt haben/auch Bürgerliche Sachen vñnd obligation wegen/niemandt angehalten werden soll. *rc.*

34. De debitis autem in ipsis nundinis contractis, rectè ibidem iudicio conveniri possunt. *Matth. Steph. lib. 1. c. 29. n. 52, Sicuti*

uti etiam in quibusdam locis certi iudices, qui super his cognoscunt, deputantur; ut Argentinae conveniuntur vor den verordneten Messherren. Sed hoc hactenus verum est, si spe presentis pecuniae vendiderit, nec emptoris fidem secutus sit creditor. Bald. ad Rub. C. de revocand. his. Matth. Steph. de iuris. lib. 1. c. 29. n. 23.

36. Hactamen non pertinent ad nundinas vulgares, seu hebdomadarias, quas vulgo die Wochenmärkt vocamus, cum ejusmodi institui possint etiam sine ullo principis privilegio, aut speciali concessione. Ampliff. Dn. Cluten promotor meus obser. in Syll. rerum quot. th. 22. lit. E.

37. Sunt insuper casus, quibus quis etiam si in loco contractus non reperiatur, recte tamen ibidem convenitur, ut si debitor, in loco contractus bona sita habeat. c. 1. §. contrahentes de foro compet. in 6. Itemq; si debitor malitiose se occultet aut latitet. Hic enim si non compareat; à Iudice loci contractus, ad instantiam creditoris, bonorum possessio contra absentem citatum decernitur; qui deinde iudicem in quo bona sita sunt, requirat, ut in bona ipsum immittat d. c. 1. de his tamen & aliis exceptionibus videndus Socin. in c. dilecti. n. 40. de foro compet. Matth. Steph. d. l. n. 37. & seq.

38. Is deniq; qui certo loco dare promisit si ibi non reperiatur, etiam alibi conveniri potest; licet non directâ actione. l. 1. C. de eo qui certo loco. utili tamen d. l. 1.

39. Quod si verò quis copulativè pluribus in locis dare promiserit, tunc summa, pro rata, singulis in locis solvi potest. l. 2. §. 4. ff. de eo quod certo loco. Sin disjunctivè, in solidum quovis loco conveniri potest. d. l. 2. §. 3. idem etiam dicendum, si nullis locis expressis ubicunque locorum promiserit. d. l. 2. §. 3. ff. de eo quod certo loco, Et hactenus etiam de contractu.

40. Succedit nunc tertius modus sortiendi forum, nempe delictum, cujus ratione recte conveniuntur rei eo in loco, ubi delictum est commissum, vel ubi inchoatum, vel denique ubi reperiuntur. l. 1. 2. C. ubi de criminib. ag. Nov. 69. c. 1.

41. Potissimus tamen & magis proprius locus ille est, in quo delictum est commissum. l. 7. §. pen. ff. de accus. d. Nov. 69. c. 1.

B Ratio.



Rationem assignat Vultejus in l. 1. ubi de crim. ag. oport. n. 14. adde  
tex. in l. 28. §. 15. ff. de pœnis.

42. Quid autem in l. 1. C. ubi de crim. ag. oport. per inchoatum crimen intelligatur, an locus ille ubi accusatio inchoata: quaeritur. Hoc pleriq; volunt, Dd. Mihi tamē magis Wesenbecii placet interpretatio, qui per inchoatum crimen, crimen captum & imperfectum, vel inchoatum quidem, alibi verò perfectum intelligit: veluti si quis cum telo ambulaverit, neminem autem occiderit, vel ballistā exoneret in territorio Sempronii, & in territorio Caij constitutum interimat, ab utriusque territorij iudicibus conveniri poterit. Colleg. Argent. tit. de iudiciis.

43. Et licet negari non possit, quod quandoque crimen, criminis accusationem significet, ut in l. pen. in verbis: suspenso crimine. ff. de accus. l. 3. ibi crimen publicum constituere. l. 7. in verb. quæ crimen intendit &c. C. de his qui accus. non pos. aliisq; iuris textibus: Et idē fortassis hæc quoque opinio obtinere queat; Quia tamen Wesenbecij interpretatio simul & facilior & nihil in commodi habet ac quaestionem de sortiēdo foro ex inchoatione criminis quod alibi perfectum sive consummatum est clarius decidit, eam retinere malo, sicuti etiam pluribus in discursu demonstrabitur.

44. Quod si verò delinquens extra locum commissi delicti, vel inchoati criminis, in loco domicilij vel originis fuerit repertus, tunc iudex domicilij vel originis super delicto alibi perpetrato rectē per inquisitionem cognoscat; si videlicet in suo, non verò alieno territorio inquiret. Ratio habetur apud Obrecht. lib. 2. num. 71.

45. Iudex tamen Domicilij vel originis ad petitionem Iudicis loci commissi delicti, reum ad locum vbi delictum commissum est, remittere necesse habet. Hoc tamen olim solū obtinebat per l. 7. ff. de custod. & exhib. Nov. 134. c. 5. l. 7. §. f. ff. de accusat. Non verò si nunc recurramus ad consuetudinem hodiernam. Videmus enim, quod non nisi Jure amicitiae & vicinitatis de ea re gratificari princeps principi vel civitati solet, sub antigrapho tamen & literis reversalibus, quod hæc res quam non Jure sed precibus

eibus obtinuissent non sit futura nocumento, aut præjudicio, auff  
einen Revers / Beweis / vñnd Gegenbekandtnus / Quæ autem sit  
causa quod ab hac expressa decisione per consuetudinem contra-  
riam recessum sit, assignat Dn. Obrecht. *in tract. de Iurisd. lib. 1. n.*  
*83. Matth. Steph. n. 17. c. 30. lib. 1.*

46. In confinibus autem si delictum fuerit perpetratum,  
ad eum cognitio devolvitur in cuius territorio caput occisi reperi-  
tur. *l. 44. ff. de religiof. & simpl.* Quod si caput occisi utriusque tan-  
gat territorium uterque Dominus contra delinquentem rectè pro-  
cedit. Everh. *in top. in loc. ab extremis.* Et hæc breviter etiam de de-  
licto: sequitur ut etiam dispiciamus quomodo ratione rei quis for-  
tietur forum.

47. Ratione rei sortitur quis forum cum in loco ubi res si-  
ta est, controversia alicui movetur. *l. vnic. C. ubi de hered.*

48. Ut autem ratione rei sitæ controversia alicui moveri  
possit, hæc duo requiruntur. I. ut Reus rem illam, de qua contro-  
versia est possideat. *l. 36. de R. V. l. 25. ff. de O. & A. l. 24. §. f. ff. de*  
*Iud.* Quod si verò Reus se rem non possidere respondeat, tunc actor,  
actione in rem contra ipsum experiri non potest. Secus atque si do-  
lo desierit possidere, cū is non minus pro possessore habeatur, rectè  
etiam ab actore conveniri potest *l. 131. l. 150. l. 157. ff. de R. I. l. 27.*  
*§. 3. ff. de R. V.*

49. Alterum est ut actor actionem realem vel mixtam ad-  
versus Reum instituat. *l. f. C. ubi in rem act.* Aliàs enim si ad rem  
stipulatione promissam vel rem emptam, aut simili actione merè  
personali in Iudicio agam, & experiar, Reum minus rectè in loco  
rei sitæ in Jus vocari peto, sed potius in loco Domicilii, Quæ autem  
sit ratio diversitatis, habetur *in l. f. §. f. de contr. empt. l. 25. pr. ff. de*  
*O. & A.*

50. Reales ergò actiones eo loci ubi res sita est proponi  
convenit. *d. l. 1. l. f. ubi in rem actio.* Vnde de hereditate rectè ibi  
agitur, & scripti heredes in possessionem se mitti contendunt, ubi  
res hereditariæ inveniuntur. *l. vnic. C. ubi de heredit.* Et fideicom-  
missum petitur ubi res relicta est, atque existit. *l. v. C. ubi fidei,* vel  
ubi major pars hereditatis est. *l. si fideicommissum l. sed et si ff. de Iud.*

nisi testator aliud voluerit, *l. 50. pr. l. 52. §. 1. de Iud.* Nec distinguendum sive in loco domicilii Actoris, sive Rei, sive tertii cujusdam, res constituta sit.

51. Sive de dominio sive possessione rei, inter actorem & Reum controversia oriatur, rectè tamen actor Reum, eoin loco in Jus vocat, ubi res sita est. *l. 38. de Iudic. l. f. C. ubi in rem.* Quomodo autem in petitorio & possessorio, actionibus competentibus agendum, hoc latissimè explicat Zanger. *princip. 2. cap. 2. num. 94. & seqq.*

52. Nec etiam refert, res de qua controversia est, mobilis sit, an immobilis, de re quidem mobili res est expedita, de re autem immobili, nō omniū una eademque apud interpretes extat opinio partim id negāt, partim distinguūt, utrū sc. res mobilis eo animo in locū sit illata ut ibi sit & maneat, an verò casu aliquo ibidē reperiat, ut ita priori casu conveniri debeat eo in loco, ubi cum re deprehenditur, posteriori verò non aliter nisi in loco domicilii, & hujus opinionis authores fuerunt Petr. *de bell. pert.* Cynus Bartol. & alij.

53. Ego verò rectius eos cum Azone sentire arbitror, qui indistinctè Reum ratione rei conveniendum putant propter. *l. f. C. ubi in rem act. l. 38. de Iud.* Cum enim lex illa, generaliter & indistinctè loquatur, nec per legem specialem restringatur, non video cur non tam in re immobili quam mobili locum habere possit, textus est in *C. f. extr. h. t. n.*

54. Nec etiam interest suo an alieno quis possideat nomine, ut Colonus, depositarius, commodatarius &c. utroque tamen casu rectè contra eos instituitur hæc actio, ubi res sita est. *l. 9. ff. de R. V. l. 2. C. ubi in rem actio c. f. §. f. extr. ut lit. non cont.*

55. Quamvis autem is qui alieno possidet nomine, cum actore litigare cogi non possit, Dominum tamen suum ubicunque locorum etiam is versetur & latitet, statim ante litis contestationem nominare, & ut Domino suo ad comparandum, terminum præfigere velit, à Judice petere debet; Quod si comparat, tunc actori ad libellum contra possessorem productum, respondere necesse habet, nisi rem amittere malit; sin minus, & ne post trinam  
quidem

quidem citationem, neque per se neque per advocatum & procuratorem compareat, lis pro contestata habetur, atque actor in possessionem rei controversæ à Judice immittitur. *d. l. 2. C. ubi in rem act. Novell. 69. c. 2. Nov. 112. c. f.* Et hæc de 4. illis modis quibus quis regulariter forum sortitur, sequitur forum singulare.

56. Singulare ordinarium forum consideratur, partim ex certis personis, partim ex certis causis, Certæ illæ personæ distinguuntur vel in Clericos vel laicos. Inter Clericos primò considerandus venit Pontifex, qui olim Imperatoriæ majestati subjacebat ejusdemque Jurisdictioni se sub mittebat, Id quod in Leone 4. videmus, qui non solum expressè Lotharii & Imp. præcepta omnibus modis se servaturum profitetur, eumque pro mendace qui aliter dicturus sit, habendum proclamat *c. 9. distin. 10.* Sed etiam ob crimen læsæ majestatis delatus, coram Ludovico II. causam dixit, ejusque judicio se purgavit. *c. 41. c. 2. q. 7.* Quin immò etiam Pontifices & Episcopos ab Imperatoribus investitos atque depositos fuisse, exemplo videmus Benedicti X. qui ab Henrico 4. depositus, eique Nicolaus 2. substitutus fuit. Th. Mich. *de Jurisd.*

57. Hinc etiam est quod dicitur; omnia Pontificis Jura in manu Imperatoris esse. *c. 23. q. 8. c. convenior.* Item Pontificalem apicem Imper. Majestati inesse. *d. 21. c. Cleros.* ad quod etiam facit Episto. 61. lib. 2. Grego. M. ad Mauritium Imper. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus &c. Item paulo post: Ad hoc enim potestas super omnes homines Dominorum meorum pietati cœlitus data est &c. Si ergo super omnes homines, super Papam quoque si homo est.

58. Hodiè tamen non nisi propter hæresin & ubi à fide devius tantum deprehensus fuerit, Pontificem accusari posse, testatur Julius Clarus, qui & Dd. communiter ita statuere asserit, & hanc quidem accusationem coram generali concilio instituendam esse, qua de re Gregor. Tholos. 3. *de appell.*

59. Deinde Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, coram ipso Papa conveniendos idem testatur Jul. Clar. *d. q. 35. §. f. n. 10. & 11.* Episcopos coram Archiepiscopo vel Metropolitano *c. 3. pr. extr. de appell. in 6.* Cæteros verò coram Episcopo vel coram Ab-

bate vel Prælato, modò Jurisdictionem à Papa habeant, vel aliunde sibi acquisiverint, coram ipsis tamen tanquam ordinariis rectè etiam conveniri, docet *c. cum contingat. extr. h. t. n.* ubi Socin. *c. i. num. 5.*

60. Unde autem tam amplum privilegium habeant : sciendum, quod nec veteri testamento nec tempore Christi propriam ac specialem Jurisdictionem habuerint, sed indistinctè Politico Magistratui subjecti fuerint Paul. ad Rom. *c. 13. v. 1. act. 25. Matth. 20. v. 25.* Immò ipse Christus, cujus vicarium se nunc profitetur Papa, cum Apostolis Magistratum secularem agnovit, legibus politicis satisfecit atque ut hoc ipsum alij quoque facerent mandavit *Matth. c. 22. v. 21.* Temporibus tamen subsequen- tibus Imperatorum in favorem religionis hoc ipsis indultum est, ut non nisi volentes apud Magistratum politicum conveniri possent. *l. 51. C. de Epif. & Cleri.* Donec tandem Fridericus 2. sub gravi pœna in- hiberet, ne quisquam tam audax reperiretur, qui personam Ecclesiasticam apud Magistratum politicum, in Jus vocaret. *Auth. statumus C. de Epif. & Cler.* Ex hoc subinde ipsorum authoritas & Jurisdictio major esse cœpit, ut tandem se in totum progressu temporis à legibus civilibus solverent omnesque suos clericos à Magistratus politici Jurisdictione eximerent. *c. 1. 2. 12. 16. extr. h. t. n.* Sed Jurene an injuria? vid. Schneid. *ad §. 1. §. 2. n. 4. Inst. de I. N. G. C.*

Ad. Glor. 177.  
2. N. 123. par.

61. Inter laicos 1. Imperator & Rex Romanus singulare sortiuntur forum coram Palatino Electore, quod Jus quamvis Electori Palatino primitus consuetudine tantum indultum sit, constitutione tamen Caroli 4. postmodum confirmatum est, cujus rei quoque meminit *Specul. Sve. lib. 2. c. 43. c. 6.* Wann die Fürsten den König wollen beklagen / so Er ihnen wider Recht thut / daß sollen sie thun vor den Pfalzgraven. Item Der Pfalzgrav von Rhein ist zu Recht Richter vber den König / vnd davon hat die Pfalz viel Ehr.

62. Illud tamen sciendum quod nullibi Judicium hoc exercere præterquam in Imperiali curia possit, ubi Imperator vel Rex Romanus præsens est. *Aurea. B. t. 5. v.* Vnd wiewol ein Römischer König von Sachen wegen darumb Er angesprochen wird vor



vor einem Pfalzgraven bey Rhein / des H. Reichs Erzhuchseß  
 vnd Churfürsten sich zu verantworten hat / wie man sagt daß es von  
 alters also herkommen / so soll doch der Pfalzgrav / solch Bericht  
 sonst Niemandt anderstwo halten noch vben / dann an dem Kay-  
 serlichen Hoff / an welchem der Kayser oder Römischer König zu  
 gegen sein wirdt. *Processus tamen non contra ipsum, propter ma-  
 jestatis reverentiam, sed fiscalem fieri debet. l. bene à Zenone. C. de 40.  
 præscript. Arumæus in dis. ad A. B. concl. 45. f. 165. f. Id quod in pra-  
 xi quoque servari docet Alciat. Respon. 28. n. 10. An. Hering. de si-  
 dejuss. c. 7. n. 288.*

63. An autem cum textus in A. B. generaliter & indistinctè  
 loquatur, ut super causis quibus Imperator vel Rex Romanus im-  
 peditus fuit, coram Palatino Electore respondere debeat, etiam ad  
 Jura feudalia cum lis fuerit exorta inter Dominum & Vassall. exten-  
 di debeat? Id adfirmat Sixtinus: Feudistæ verò communiter ne-  
 gant, & non sine ratione: ut constat ex Reinking. *lib. 1. de regim.  
 Eccles. & secul. class. 4. c. 5. n. 7.*

64. De eo etiam contendunt Politici, si Imperator Impe-  
 rium malè administret vel simile quiddam admittat, ob quod re-  
 movendus: ad quem cognitio pertineat? Et dicendum omninò  
 videtur, ad Palatinum pertinere; præsertim verò si inspiciamus  
 speculum Svevicum *lib. 1. c. 30. ibi, si Imperator accusatur de eo  
 quod corruptior imperium obtinuerit, id coram Palatino facien-  
 dum est. Cujus rei etiam præjudicium extat, quod refert Goldast.  
 t. 1. Const. f. 99. in Rudolpho Palatino cui ex instituto Judicio con-  
 tra Albertum, quod Dominum suum proprium, Regem Adolphum  
 occidisset, ideoque de ejus depositione cogitarent Electores, depo-  
 sitionis cognitio ab iisdem attributa fuit: de quo etiam Henricus  
 Stero Monachus An 1300. Arum.*

65. Hunc tamen locum cum aliis ita limitat Buxtorf. quod  
 & mihi placet, Palatinum quidem in depositionis causa primarium  
 & directorem esse, ita tamen ut etiam cæteros adhibeat Electores  
 inque causæ cognitione ac pronuntiatione sententiæ omnium Ele-  
 ctorum consensum requirit, præsertim cum Jus eligendi ad omnes  
 & singulos pertineat Electores. *jux. Dn. Gold. t. 1. f. 159. Aret. & alias.*  
 Se-

66. Sequuntur nunc status Romani Imperij quo ad primam Instantiam Austregarum iudicio gaudentes, *Allda des H. Reichs Stände endstehende Zueyung / Zänck vnd irzung vnder ihnen selbst so viel möglich beygelegt vnd zu schleunigen Austrag verholffen werden.* Matth. Steph. l. 2. q. 1. c. 3. n. 3. qui in res distinguuntur ordines. 1. ordo est Electorum & Principum. 2. prælatorum Comitum & Baronum. 3. est Civitatum. p. 2. t. 2. t. 4. *ordin. Camer.*

67. Elector vel princeps acturus contra Electorem vel Principem, mittit ei libellum actionis qua adversus ipsum experiri cogitat ac simul requirit ut se iudicio submittat, requisitus intra 4. Septimanarum spacium, ex quo causam scripto comprehensam actor Reo transmittit, mit ersuchung ihm darumb Rechtens zupfleget / 4. Electores vel Principes, qui cum imperio sunt non ex una domo, sed ex diversis familiis natos actuque regentes, partim seculares partim Ecclesiasticos, Regierende Churfürsten / Fürsten / vnd Fürstenmäßige Bischöffen / gesürste Abten ut habetur in *d. ord.* nominare tenetur. Ex his similiter intra 4. Septimanas Actor unum pro Iudice eligit, qui Judicandi munus in se recipere cogitur, nisi causas habeat gravissimas, & hic Commissarius Cæsaris vocatur: Quod si requisitioni actoris satisfacere supersederit Reus, tunc rectâ Princeps Actor, Reum ad Cameram evocare, aliosque processus impetrare potest. *ord. Cam. t. 2. inf.*

68. Quod si verò à secundi vel tertij ordinis personis conveniantur, tunc ex his octo modis seu viis subseqq. eligere possunt actores quam velint. Primus modus seu via est ut Actor Electori, vel Principi, litem denunciet in scriptis, atque ut per suos consiliarios de controversia iudicet, petat, quo facto, Princeps intra mensis spacium, actori suis sumptibus, iudicium novem suorum consiliariorum non suspectorum, quorum 5. Nobiles, 4. Jcti, una cum Citatione ad Aulicum Consistorium, accum salvo conductu, decernet, atque ex his 9. Consiliariis Princeps, in Actoris vel ejus procuratoris præsentia, Iudicem eliget, qui electus deinde coram actore vel ejusdem procuratore, à reliquis 8. & ex his 8. Senior ab ipso Iudice juramentum exigent, (remisso tamen ipsis pri-  
us

us juramento quo Principi obstricti erant.) In solchen Sachen nach beeder theil fürbringen/ vnd bester verstandenus recht zusprechen/ vnd darumb keinerley Gefährlichkeit zugebrauchen/ oder sich nichts daran verhindern lassen / *d. ord. titul. 4. §. Dieselben §. Erstlich.*

69. 2. Modus seu via est, ut si Actor nolit se horum. 9. Iudicio submittere, de hisce tamen Consiliariis, 5. vel 7. coram quibus causa prædicto modo agatur, eligere possit *d. titul. 4. §. Sunt Anderen.*

70. 3. Elector quoque vel Princeps ex tribus Principibus nominandis, non suspectis, unum quem voluerit, eligere potest, qui vigore ordinationis Cam. in causa procedat, & quidem in loco seu territorio electi Principis. *d. t. 4. §. zum Dritten.*

71. 4. Actor insuper Commissarium ad minimum ex Prælatorum vel Comitum ordine, & his non inferiorem à Cæsarea Majestate designari per libellum supplicem petet: qui Commissarius deinde similiter in suo territorio in causa procedere debet. *d. t. 4. §. zum Vierten.*

72. 5. Liberum quoque est acturo 9. integræ famæ & estimationis viros, & totidem Reo nominare Consiliarios, ex quibus Actor tres, Reus verò ex Actoris duos nominabit, qui causam examinent, & sententia sua dirimant. *d. titul. 4. §. Zum Fünfften.*

73. 6. Actor etiam duos viros bonos & graves qui iudicant, dabit, Reus itidem duos, vel ex Consiliariis vel aliunde adscitis, & si ipsi 4. in decidenda causa inter se dissentiant. Jus habent ex consensu partium & voluntate optandi quintum, qui sit loco arbitri. An statt eines Obmans; vel denique Cæsar, si neque de illo quinto convenient, ad utriusque instantiam & communibus sumptibus, arbitrum designabit. *§. zum Sechsten.*

74. 7. Via est ut Actor ex consiliariis Rei 5. compellet, qui controversam disceptent causam, suaq; sententia dirimant. Quod si verò tot consiliarios non habeat Princeps, So soll der Kläger auß des Beklagten Amptleuten/ Bögten/ Pflegern/ Lehmannen des Adels / die vberige Summ ergänzen vnd ersetzen/ *§. Wo aber d. tit. 4.*

C

8. Via

75. 8. Via, quo ad Judicem, cum prima eadem est, Reus enim consiliarios novem, in his 5. qui sint Nobiles, ad minimum sistat, vel nominet, coram quibus merita causæ audiantur, & persecutio ejus tractetur, Ita ut utraque pars, 4. & testes examinati si sint, post publicationem rotuli, duo insuper non plura producta, singulis hebdomatibus quaternis, von 4. Wochen zu 4. Wochen/ à die exhibiti prioris scripti duplicata exhibeat, & concludat d. t. 4. §. zum Achten/ Et hactenus de primi ordinis personis.

76. De secundi ordinis hominibus sciendum, eos aliter conveniri à primi, aliter à sui ordinis personis. Si à primi ordinis personis conveniantur, duplex proposita via est. Prior ut Elector vel Princeps acturus contra prælatum, Comitem, Baronem &c. immediate imperio subjectum, ab Imperatore Commissarium, non suspectum, ex Principum tamen ordine, nec ultra 12. milliaria à Domicilio Rei habitantem, impetret, coram quo, vigore ordinationis procedatur. Cammergerichts Ord. pr. 2. t. 3. Posterior ut Reus requisitus, 3. Principes non suspectos, neque ultra 12. milliaria ab Actore distitos nominet, ex quib. actor unum eligat, coram quo agatur, & quidem in loco seu territorio electi Judicis. p. 2. t. 3. vers. Oder soll der Churfürst.

77. Cæterum si secundi ordinis personæ à sese mutuo invicem conveniantur, ac judicio litigare velint, eadem quidem viâ qua de *θ. preced.* dictum procedi potest; nisi quod Imperator etiam alium quam Principem ad instantiam Actoris, pro Majestatis Cæsareæ arbitrio delegare possit. ord. p. 2. t. 5. v. oder wo ihme.

78. Nunc de Civitatibus Imperialibus quas tertio ordine venire diximus, quæ quidem Cameram Imperialem competentem habent Judicem, ex privilegio tamen quædam peculiare habent Judices, besondere Außtråg/ pro ut habet Norimberga, Argentina, Ratisbona, Eslinga, Dinckelspilm &c. ut Norimberga judices habet Wingsheim / Weisenburg. Argentina, Basel/ Wurms vnd Bsm. Ratisbona, Augspurg/ Nurmberg/ vnd Bsm. Eslinga / Judices habet Bsm/ Weidling/ Haysbrun. Dinckelspilm judicem habet den Statt Amptmann/ qui cum 4. Senatorib. ex civitatibus Nördlingen/ Kottenburg an der Tauber / Schwäbischen Hall/ vnd Schwäbischen Wörth/ cognoscit.

In

79. In quibus autem causis Austregæ locum habeant, videndum. Et quidem tam in criminalibus quam Civilibus, etiam matrimonialibus, (non etiam in feudalibus,) & quidem intra semestre vel ad summum intra annum & diem, ut lites decidantur vult Vmmius, *in processu iud. h. t. n.* an autem hæc opinio sit fundata merito dubitatur.

80. Cessant denique Austregæ. 1. Si non secundum ordinationem, *vermög der Aufsträg* intra mensem Principes tres, nominarit Princeps, vel alius status ad petitionem actoris Geyl. *lib. 1. c. 1. n. 5.* Mynf. *obs. 91. 1.* secundò, si ob atrocem & nimiam sævitiam, vel etiam ob servitia insolita, conveniantur à subditis suis Principes. Geyl. *d. lib. 1. obs. 17. 3.* Cessant in bannito, vel proscripto, Geyl. *lib. 7. obs. 1. num. 38. 4.* Si huic privilegio ex conventionem fuerit renunciatum. Geyl. *d. l. n. 29. l. penult. C. de pactis. 5.* Si contra eum qui Imperio immediatè est subiectus petitur reductio à laudo. De qua re Idem Geyl. *d. l. n. 49.*

81. Personæ porrò miserabiles, ut viduæ, pupilli, morbo debilitati, singulare sortiuntur forum, idque ex *Constit. Constant. Impr. in l. un. C. quando Imper. in pupil.* Vbi hoc habetur Jus: ut prædictæ personæ non nisi suo foro conveniri debeant, & adeo quidem, ut ne Principis rescripto aliò protrahi possint *l. f. C. si contr. Ius vel uri.* Contra verò alios, omisso Iudice inferiore, præsertim quando potentiam adversariorum suorum perhorrescunt, ad Iudicium Imperatoris evocare possint. *d. l. un. C. quand. Impr.* Hoc enim casu Imperatoris auxilio opus habere videntur, ut apparet ex iis quæ habentur. apud Obrecht. *de Iurid. lib. 3. c. 18. n. 12.*

82. Verum hæc hodie in Camera non observari præterquã in casu denegatæ vel protractæ Justitiæ, testatur Geyl. *lib. 1. obs. 1. n. 40.* Vult. *l. unic. C. quand. Impr. n. 20.*

83. Subsequuntur nun Clerici, studiosi, Milites, quibus itidem singulare privilegium indultum est. Clerici enim in foro Ecclesiastico conveniendi sunt, de quibus in *th. 59. & seq.* dictum *add. c. cum non ab homine de iud. c. cum sit generale c. si diligenti extr. h. t. n.* Quod privilegium quomodo & quibus casibus cesset, ut coram seculari Iudice conveniri possint, habetur apud Mynsing. *l. 2. obs. 67. Geyl. lib. 1. obs. 37. n. 3.*

84. Scholares & studiosi conveniendi sunt coram Rectore, vel Magistro suo, vel coram Episcopo loci: quibus tamen optio datur, ut unius Judicis forum & judicium declinare, & alterum coram quo conveniri malint, eligere possint. *Auth. habit. C. ne fil. pro pat.* Quod tamen electionis Jus in desuetudinem abiisse, ex eo intelligere licet, quod, per statuta Academica & generalem consuetudinem, tota civilis Jurisdictio Rectori tributa sit, eique juramentum reverentiae & obedientiae praestare studiosi soleant, atque per hoc, se subditos Academiae faciant, ac neminem nisi Rectorem tantum pro Judice agnoscat. *Coth. in resp. Acad. i. n. 117.* Et in tantum quidem, ut licet sponte se alterius Jurisdictioni subjecerint, Rector tamen ad se causas avocare possit. Sicuti hoc ipsum Jenae, Lipsiae, Witebergae, aliisque vicinis Academiae stricte observari memini, inter quas etiam Lipsiensis praeter reliquis hoc habet privilegii, ut non solum lites coram Magistratu oppidano motas, sed etiam extra urbem ad tres diastas *auß 21. Meil wegs* ad se avocare possit.

85. Milites quoque ex privilegio, ne facile a signis contra Reipublicae utilitatem avocentur, speciale forum habent. *l. 29. C. de pact. l. 6. C. de Jurisd. l. 1. 2. C. de off. Magist. Mil. l. un. Cod. in quib. caus. milit.* Conveniuntur enim coram Magistro Militum *vor dem Kriegs Obristen*, tam in civilibus quam criminalibus causis. *d. l. 6.* etiam si crimen alibi ante militiam fuerit perpetratum. *l. 4. §. 5. ff. de re militari.*

86. Et quamvis per *all. l. 6.* a nullo alio quam suo Judice coerceri debeant: in criminalibus tamen etiam praesidium provinciarum jurisdictioni subesse videntur. *l. 2. C. de privil. Schol.* Idque propterea, ne sub praetextu concessi privilegii vel flagitiorum erefcatur auctoritas, vel publica vacillet utilitas *d. l. 2.* Qua de re, & Militum Judicio, (quod quadruplex constituunt; ordinarium: in hasta criminali: Judicium statarium; & denique Camerale) videndus est *And. Reuter. in seiner Kriegsordnung / Elias Schrod. in delineat. Jur. bell.*

87. Superfunt causae nonnullae, ob quas apud Judices certos & speciales agendum, & proinde etiam singulare forum constituunt: Primum enim causae religionis, & articuli fidei, ut causae spirituales & Ecclesiasticae, in foro Ecclesiastico tractantur. *c. contingit.*

git. ubi Dd. extr. de arbitr. c. 5. c. ex tenore. h. t. n. Mynsing. c. 1. obs. 67. Quibus annumerantur causæ matrimoniales. c. 16. de potest. & off. jud. deleg. cum matrimonium sit sacramentum secundum Canones. Covar. de matr. p. 2. c. 1. §. 1. n. 2. c. gaudemus. extr. de divor. causæ decimarum, Juris patronatus. clem. dispendiosam. de Iud. ubi ordine causæ recensentur. Idem etiam in criminalibus Ecclesiasticis obtinere volunt; ut in causa hærescos c. excommunicamus c. ad abolendum. extr. de hæreticis. Sacrilegij: c. cum sit generale. h. tit. de histamen & aliis vid. Lancell. in templ. om. Iud. l. 5. c. 5. §. 4. Marant. de ord. Iud. dist. 13. n. 5.

88. Et hoc quidem in tantum verum esse non nulli arbitrantur, ut etiam principalis controversia secularis, propter incidentem quandam quæstionem vel causam spiritualem, ad Judicem Ecclesiasticum sit remittenda. Quorum tamen opinionem Dd. communiter improbant; statuentes, quod demum cognitio secularis suspendatur super seculari, usque dum Episcopus, & similes Judices de incidenti causa spirituali & Ecclesiastica statuunt. per c. lator. 5. extr. qui filij sint legitimi: quod etiam in Camera observatum refert Mynsi. c. 1. obs. 100. quam observationem reprehendit Godæus in tract. suo, de sequest. c. 1. n. 38. ac vocabulo profanis, mendū librariorum inesse scribit.

89. Cæterum cum hodie Jura illa Episcopalia vigore decreti Comit. An. 55. & transactionis Passaviensis ad Principes & status Imperij sint devoluta: ac Episcoporum personam repræsentent, iis præsertim in locis, in quibus juxta normam Augustanæ confessionis verbum Dei docetur, & ita penes hos sit exercitium Jurisdictionis Ecclesiasticæ; non dubitatur, quin dictæ causæ coram his vel consistoriis Ecclesiasticis, nisi aliud consuetudine introductum sit, sint tractandæ. Zanger. p. 2. c. 1. num. 424. Coll. Argent. de Iud.

90. Causæ feudales excutiendæ sunt coram feudi Domino, si contentio fuerit inter convasallos: c. imperialem. §. 2. vers. præterea, de prohib. feud. alienat. Secus si se convasallos esse negent; tunc enim non Domini sed ordinarij Judicis cognitio est. lib. 2. f. 43. Rosenth. c. 12. concl. 2. per tot

C 3

Quod

91. Quod si verò inter Dominum & Vasallum controversia super feudo oriatur, iudicium ad pares Curia pertinet. *d. c. Imperial. Rosenth. c. 12. conclus. 3. n. 1.* Limitatur autem hoc, si controversia sit ratione rei, quæ feudalitatis non est; eo enim casu ordinarium forum competens erit. *Myns. c. 5. obs. 75. n. 3.*

92. De Ducibus autem Marchionibus, Comitibus, Baronibus, qui immediatè Romano Imperio subjecti sunt, sciendum; quod solus Imperator de feudis: si modo ab Imperio feudum possident, cognoscat: textus est *in c. 1. apud quem vel quos.* & in tantum quidem, ut Carolus V. ne vicariis quidem, qui tamen Imperatorem repræsentant, manum ad ea extendere absente vel mortuo Imper. permiserit. *Reichs Abschied Anno 1521. p. 1. §.* Ob auch Sachen vorfielen / Fürstenthumb / Herzogthumb / Grafschafften / &c. Id ipsum Ferdinandus quoque in ordinat. *Camer. p. 2. t. 7.* repetit. in verbis. *Ob auch Sachen fürfielen / Fürstenthumb / Herzogthumb / Grafschafften &c. belangent / so vom Reich zu Lehen rühren / so einem Theil gänzlich vnd endtlich abgesprochen werden sollen / derselben Erkandtnus wir der Kayserlichen Majestat / oder ihrer Lieb vnd Kayserliche Majestat abwesens / vns als Römischen König hierin / doch sonst in andern Sachen dieser Ordnung vnabbrüchig / vorbehalten haben.*

93. Causæ porro fiscales ventilandæ sunt apud procuratorem Cæsaris. *l. 1. §. t. t. C. ubi caus. fisc.* Sunt autem causæ fiscales in quibus agitur de bonis fisco delatis, vel de pecunia fisco inferenda, vel de iis quæ ex contractu fisco debentur *Cujac. in w. Cod. ubi caus. fisc.* Hodiè tamen de causis fiscalibus Imperii, etiam Camera judicare est textus in ord. *Cam. p. 2. t. 20. §. f.* vbi etiam causæ fiscales in specie enumerantur. *add. Geyl. lib. 1. obs. 1. n. 25. lib. 1. obs. 20. per tot.*

94. Ob causas in super continentes, sortitur quis forum, quæ in uno eodemque terminari debent iudicio. *l. 10. C. de jud.* Et nihil aliud sunt, quam rei controversæ connexitas, colligatio, vel perpetuitas, quæ separari causas negotiumque non patitur. Quod modis autem illa connexitas contingat, quidve in Camera observetur,



vetur, reper. apud Godd. tract. de sequest. n. 29. Geyl. de pac. pub. n. 19. c. 1. p. 1.

95. De causa status denique qui cognoscant, videndus Vult. d. l. 1. n. 9. hæc enim & alia hîc exactius deducere, instituti ratio non patitur. Restat nunc membrum ultimum, forum videl. extraordinarium de quo etiam paucis.

96. Extraordinarium forum constituitur vel æstimatur partim ex mandata; partim ex prorogata jurisdictione. l. 3. de off. ei. cui Marant. p. 4. dist. 5. Est autem mandata Jurisdictio, quam quis non Jure suo, sed ex alterius mandato habet, atque exercet. vel: Mandata Jurisdictio est Jurisdictio aliena, quam quis ex mandato alterius, cui ea competit, & qui ob causarum molem, nimiamve Reipubl. curam, aliamve ob causam ei sufficere non potest, habet, atque exercet. d. l. more. junct. l. 6. ubi gloss. in verbo: hæc ipsa lex. de Jurisd. Hinc illam qui exercent delegati appellatur, quandoque commissarii. r. s. Decret. de off. & potest. Iud. deleg. Olvvald. Hillig. in Donell. l. 17. c. 8. l. 1.

97. Quamvis autem Jurisdictio aliter delegari non possit, nisi ab eo, qui suo, hoc est Magistratus Jure, non alieno beneficio habeat, id quod dilucidè demonstrat. l. 1. §. 1. l. f. de off. ei. cui Id tamen in Principis delegato non procedit, & in tantum quidem, ut etiam partibus invitis subdelegare possit. c. pastoral. §. praterea. extr. de off. Iud. ord. c. super quest. §. eum veto. de off. de leg. vel proconsulis legato. l. 12. §. 1. ff. de Iud. l. 12. de off. procons. Vel denique delegato ad causarum universitatem dato, Geyl. l. 1. obs. 97. num. 2. Jason ad l. à Iudice C. de Iud. n. 8.

98. Et non solum causæ simplicis Jurisdictionis quæ sunt, mandari possunt, sed & causæ mixti imperii. In causis tamen meri imperii benignè de J. C. receptum est, ut in casu saltem absentia Reipub. causa, mandari possint l. de offic. ejus cui mand. Hodiè tamen cum merum imperium, ut & alia multa, quæ olim specialem concessionem requirebant, Jure Magistratus competant, non admodum, de eo, utrum merum imperium nunc mandari possit, laborandum est, Arum. dis. Ac. 7. vol. 2. th. 10. n. 4.

99. Jurisdictio prorogata dicitur, quando inter partes, quæ

quæ personam standi in Judicio legitimam, ac rerum suarum administrationem habent, conventum est, ut alius quam cujus Jurisdictio esset, Jus diceret. *l. 18. ff. de Jurisd.* Vel ut quidam definiunt: Prorogatio Jurisdictionis, est Jurisdictionis apud aliam extensio. *Math. Steph. lib. 1. c. 11. n. 18.*

100. Cui consequens est, ut prorogationi locus sit, requiri ut jam ante penes eum sit Jurisdictio, cujus in tuitu per partes Jurisdictio extenditur; & quidem eo tempore quo in prorogationem consentiunt partes. *Osval. Hill. in Don. l. 17. c. 10. l. O. præsertim cum Jurisdictio, Juris Publici sit & privatorum pactis tribui non possit. l. 3. C. de Jurisd.*

101. Nihil autem interest expressè an tacitè in prorogationem consenserint partes. *l. 1. junct. l. seq. ff. de Jud. Donell. c. 17. num. 10. Jason. ad l. 18. ff. h. t. Zaf. in l. si convenerit, num. 12. de Jurisd.*

102. Jurisdictio porrò cum pro ratione divisionum varia sit, quæ prorogari possit, videndum. Et primò quidem tam ordinariam quam mandatam prorogari Jurisdictionem posse, textus est in *l. 1. & glossa C. de Jurisd. junct. l. 74. de Jud. Schrad. in tract. feud. p. 10. §. 3. n. 96.* Tam voluntariam quam contentiosam, *l. 14. ff. de Jurisd. l. 13. §. 4. ff. ad SC. Trebell.* Modo tamen illa fiat à Magistratu majore vel pari *l. 14. ff. de manumiss.* Prorogari denique possunt non solum causæ mixti Imperii, sed etiam meri imperii. Licet de Jure has prorogari non posse *Dd. verius esse contendant per l. 1. ff. de off. ejuscni.* prorogari tamen eas posse receptum videmus, Hac tamen adhibita limitatione, ut aliter non procedat, nisi etiam ejus Jurisdictio, quam prorogare volunt partes, sit ejusdem naturæ, conditionis, & qualitatis cum Jurisdictione ordinarii nec fiat ad diversam speciem. *Schra. d. l. Geyl. lib. 1. de PP. c. 12. n. 11.*

103. Clericus tamen non nisi Magistratus sui Ecclesiastici Jurisdictionem prorogare potest, & quidem ex voluntate Episcopi Diocesani, id quod dilucidè demonstrat. *c. significasti c. si diligenti. h. t.*

104. De modis insuper quod & quomodo fiat, adhuc *Dd.* inter se altercantur. 4. tamen potissimum modis fieri contendunt:

ut

ut de persona ad personam. De tempore ad tempus. De loco ad locum. Et denique de re & quantitate ad rem & quantitatem. Hæc tamen quo sensu accipienda, demonstrat Matth. Steph. *lib. I. c. 21. num. 20. Vasq. l. 2. q. 14. Sichar. ad l. 1. num. 15. ff. h. t. de quibus in discursu videbimus.*

105. Vtrum autem Judicis incompetentis, ut & Judicis competentis in Jurisdictionis prorogatione requiratur consensus: quæritur. Et non expressè requiri modò si aditus non contradicat, per *l. 1. l. 2. §. 1. ff. de iudiciis* concludendum arbitror. Invi- tus tamen cogi non potest ut Jurisdictionem suam prorogari pati- atur. Cyn. ad *l. si quis ex consensu num. 11. Cod. de Epis. & Cleric.* Verum hæc quæ diximus, hodiè, cum Jurisdictiones omnes penè patrimoniales esse cœperunt, valde sunt coarctata, ut constat ex Castel. in *l. 1. ff. de iud.* Et hoc etiam de difficili hac materia (quam quidem accuratius pertractare animus erat, temporis autem angustia prohibuit) dixisse sufficiat.

Δόξα τῷ Θεῷ μόνῳ.



D PA-

**P A R E R G A.**

I.

Merum Imperium species Jurisdictionis est.

II.

Datur etiam simplex Jurisdictio, quæ & species Jurisdictionis est.

III.

Ex Auth. habita C. Ne filius pro patr. Academiarum Rectoribus merum non competit Imperium.

IV.

Imperium merum, præter casum absentia, de I. C. mandari non potest.

V.

Sic nec d. I. Cano. mandari posse dico.

VI.

Tutoris datio non est Jurisdictionis nec imperii.

VII.

Ius accrescendi in Emptorem non transit.

VIII.

Septenarius numerus testium, in testamento quod pestis tempore conditur, remissus de I. C. non est.

IX.

Beneficium l. si unquam C. de Revocand. donat. generale non esse, exercitii causa propugnabo.

X.

Vsufuctus malè utendo non amittitur.

XI.

Parentis consentus, tam de Iure Canonico quàm Civili, ad liberorum nuptias necessarius est.

XII.

Bona quæ Dux alicuius exercitus, vel Capitaneus quis, in bello acquisivit, Was ihm das Kriegsglück gegeben / vnd durch sein Ritterliche Faust dem Feindt abgenommen hat / ab alterius loci Magistratu Iure auferri ei non possunt.



**K**IRCHBERGERE virum juvenum decus atq; corona,  
 Illius Eoæ Francidos urbis honos:  
 Illius, inquam, urbis, quam Pegnessi æmula Mœno  
 Præcipiti mediam dissecat unda vado:  
 Aërias intrant cuius fastigia nubes:  
 Murorumq; minis horrida, pulchra situ:  
 Moribus & linguâ cultuq; insignis avito,  
 Nobilis emporiis, fertilis ingeniis.  
 Dum ferri passim dominatur sæva libido,  
 Grassaturq; locis omnibus omne nefas,  
 Differis egregiè quæ munera iudicis æqui,  
 Quodq; forum justo competat atq; malo,  
 Pro te, crede, meres famosi præmia puncti,  
 Legitimo quoties vincis agóna foro.  
 Ut ceptum est pergas, satis hîc cum fruge probasti  
 Ut te jure bono publicus ornet honos.  
 Qui seipsum rectè commendat in omnibus omni,  
 Non commendari rectius ille potest.


Ioachim Cluten Megapolitanus D. & p. t. Facultatis  
 Iuridica Decanus.



Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

WMA





Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



GURALIS.

49  
474.

COM

E.

1623, 3.

F.

MAGNIFICIET NO.  
*a Argentoratensium*

ROQUE  
PRIVILEGIIS  
erque con-

ER NORIM-

Febru.

ATI,

LEDERZ.

XXIII.

